

1548

aliquando Venetos ad Italiae decus, ac libertatem defendendam adversus impotentem Caesaris dominandi libidinem hortabatur, pro qua excubare dies, noctesque diceret, in iis semper cogitationibus defixus, quibus Italiae incolumitati, a qua suorum domesticorum salus seungi non posset, consuleret. De Venetis quoque interdum conquerebatur, quod nimium Caesari adhererent, illiusque amicitiam pluris aequo aestimarent. Suspicionem frequenter de Henrico in animum demittebat, quod Parmam non Octavio Caroli genero, sed Horatio genero suo servare se velle diceret, veritus, ne urbe opportuno loco sita ad Insubrum res turbandas uteretur.

Hisce assiduis curis distractus Pontifex conficiebatur, neque vero quem exitum rebus suis speraret, habebat: cum interea nullum religioni diffidiis laboranti praesens remedium adhiberetur, adhuc Concilii Patribus partim Tridenti, partim Bononiae morantibus; cum in Augustanis comitiis anno elapso celebratis Principes cuncti Tridentini Concilii decretis obtemperaturos polliciti fuissent, atque Christophorum Madrutium Cardinalem Romam misissent, qui, ut Concilium Tridenti, Bononiensi abrogato, rursus restitueretur, impetrare non potuerat. Inde Carolus Didaco Mendozzio legato injunxerat, ut coram Pontifice, Cardinaliumque Collegio Caesaris nomine, ad quem Conciliorum protectio, atque executio spectaret, obnuntiaret: impendentium periculorum, & cladum, quas gravissimas, ac prope innumeras fore, ni Concilium Tridenti haberetur, autumaret, culpam omnem in Pontificem, non in se recasuram: ob id Deum Optimum Maximum & Caelites cunctos, de quorum religione, ac cultu ageretur, testes invocare. Cum nihil ea obnuntiatio profuisset, a Pontifice Caesar flagitabat, ut Legatos Tridentum mitteret; ad id vero se adduci, licet aegre, ac difficulter, Pontifex patiebatur: ut Germanicae genti, non nihil Romanae Ecclesiae immutatis moribus, satisfaceret, se in Caesaris gratiam Legatos missurum pollicitus. Verum dum cunctatione in tam gravi negotio Pontifex utitur, Caesar Catholicorum, atque eorum, qui partes Luteri sequebantur, conventu advocato, ut labentibus rebus prospiceretur, atque ut cumque controversiis compositis, diffidia tollerentur, edictum promulgavit, quo multa iis, qui a Catholica Ecclesia descive-

rant,

*Christophorus Madrutius Cardinalis Tridentini Concilii restitutionem petivit.*

*Caesaris per Mendozzium oratorem Concilii causa obnuntiatio.*

*Paulus Pontifex legatos ad Concilium Tridentum mittere pollicetur.*